ALOISIVS FREZZA

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPVS

TARRACINENSIVM SETINORVM ET PRIVERNATIVM

SS. D. N. LEONIS PAPAE XII.

Praelatus domesticus et Pontificio solio assistens

VNIVERSO CLERO, AC POPVLO SVO.

Gratia et Pax Christi

Omnino sic est, Fratres, et Filii mei in Christo carissimi, omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia; Dei autem longe praestantior vis, et potestas, qui suo arbitratu res mortalium versat, neque sinit, cum nolit, cujusque hominis consilia ad exoptatos exitus pervenire. Id esse verissimum, modo ex me etiam reperi. Ego ejusmodi utebar vita, nullus ut umquam esse posset in ea neque desiderandi quippiam, neque poenitendi locus. In media Vrbis luce collocatus, Sacratissimi Principis Cubicularii munere insignis, occasionem eram nactus ex qua ad ea doctrinae studia, quae colueram, maximarum rerum usum adjungerem; satis honore, si cuperem, satis gratia pollens, cum etiam in rei familiaris copiis mediocritatem aliquam tenerem; ecce hinc ex illo loco jucunditatis, et quietis plenissimo praeter omnem expectationem amotus, LEONIS XII Pontificis Maximi auctoritate sum vester episcopus renuntiatus.

**

Quam haec res acciderit meae omni voluntati, ingenioque inimica, testis Deus mihi est, cujus sunt omnia oculis aperta, ac perspicua. Sed tamen, quoniam indignus est christiano nomine, si quis animo cadat, quippe enim intueri illuc debet, ubi praesidium habet certum, ac paratum, illius bonitate confisus, qui res humiles, atque abjectas excitare est solitus, non deterrebor, quin pro virili parte nitar, atque elaborem, ut commisso officio, et muneri, qua ratione cumque possim, ne desim.

At enim episcopatus permagnum habet negotium, planeque curis, atque onere abundat, cum autem semper aetate qualibet, tum praesertim hac nostra gravissimus existimari debet, ac vix ferendus. Ego vero tanta specie paene oppressus sum, nedum omne illius pondus, ac difficultatem percepi. Verumtamen in ejusmodi molestia positus, hanc scilicet laetandi causam habeo, quod vestras ecclesias suscipiam, ad quas, summo omnipotentis Dei beneficio, nulla praesentis mali contagio pertinet. Nam ubi fides aliquo loco manet, ibi homini est facultas instaurandi, si quid periit, quae impedimento reliqua sunt, destruit: siquidem fides est quoddam quasi fundamentum christianae vitae constituendae.

Atque hoc animo futurus sum apud vos. Jam, si vobis aeternae salutis ratio est, omnino apud animum vestrum statuere debetis, summa consensione mecum conjunctos esse, paene dixerim, devinctos. Sed hoc neque metu, nec simulate: quibus rebus ego nihil a vobis neque adjumenti, neque commoditatis, quod sit solidum, ac proprium expectare possum. Nam si quis vestrum forte putet, sine hac conjunctionis necessitudine effici quidquam posse, quod ad alteram vitam parandam conducat; idem opinabitur quoque, navigium, nautis et inter se, et cum gubernatore pugnantibus, nihilominus ex fluctibus, ac tempestatibus ereptum iri, eoque, quo cursus fuerit, incolume perventurum: quomodo non est credibile, nec prorsus potest fieri,

ut in discordes animos, et simultate suffusos Spiritus ille divinus illabatur, et influat: sine quo nil mortalibus datum est nec aggredi, neque perficere. Christus enim cum sit totius Ecclesiae suae, tamquam corporis unius, caput, nos, si invicem dissidemus, ab ipso illo etiam sejungimur, cujus sumus, tamquam capitis, membra.

Quod cum ita sit, sic sentio, cum vestra salus aeterna ab hoc pendeat, nihil esse tam necessarium, quam ut diligentissime praecaveatis, ne qua ulla dissidii causa in vestros animos irrepat. Vafer ille humani generis adversarius discordias nostras, si quae accidant, perattente observare, et speculari solet; his gaudet, his confidit, has sibi opportunissimas ad nos suo jugo subigendos judicat. Quare ad hanc pestem longe prohibendam christianam caritatem comitem, et administram adhibere oportet; qua una re, haec, quae ex spiritu constat, vita nostra instrui, et corroborari potest.

Sed ego hanc de vobis spem prope certam habeo, his scilicet causis adductos, jampridem constituisse, ex me, vobisque unum corpus, unumque animum confingere. De me sic habetote, cum nihil mihi antiquius hac re fore, tum omni ope esse curaturum, ut vestris omnibus utilitatibus, vestrae erga me voluntati, vestrae aeternae saluti sine ulla exceptione aut temporis, aut laboris satisfaciam. Vtinam id omne efficere possim! Hoc enim verbo rem magnam complexus sum, et gravem, et plurimae virtutis; qua ego maxime egeo.

Nunc, quoniam initia rerum novarum prudentibus hominibus causae esse solent melioris vitae ineundae, propterea boni, volentesque facite, ut aliquid vobis adhortationis singillatim impertiam, quo, quisque in suo muneris officio, quam excitatissimi sitis.

Et quidem vos omnium primi, venerabiles Fratres, commonendi estis, quos insignis sacerdotii conditio in sublimi hono-

***

ris loco collocavit. Tales cum sitis, quasi lumen aliquod oportet elucere sanctitatem vestram. Quo sit Deus amore diligendus: qua homines caritate prosequendi: quae continentia vitae: qui modus potionis, ac cibi: quae fuga aleae: quae vitatio maleficii: denique quam ceteri regulam sequantur ad pie, sancteque vivendum, a vobis exempla petunt. Itaque ad omnes partes bene audiendi solliciti esse debetis. Nec vobis minori curae sit, quam sancte sancta tractetis, praesertim cum publice celebrantur. Ita enim mens hominum ad caelestia extollitur: hinc supremi Numinis timor, hinc exquisitior nostrae religionis sensus, denique hinc vera pietas. Videtis, quid vos boni potestis in commune conferre? certe maximum. Quanti vero id est? Sane minimi: dum tantum aeternae vitae vestrae, ac vestrorum proximorum memineritis. Quae, etsi nominatim vobis honoris causa dixi, ut sunt generatim sacerdotali vitae accommodatissima, ac plane factu necessaria, sic, ii quoque sibi dicta accipiant, velim, vel qui beneficiarii, vel qui nulli ecclesiae ministerio addicti sunt.

Vos nunc volo, reverendi Parochi: vobis vim omnem paternae meae et cohortationis, et admonitionis effundere cogor, ut meas partes vestra pietas sublevet. Magna vobis est bene agendi necessitas imposita, multumque ex vobis christiana nunc respublica poscit, multum etiam ego, quibus carissimas oves trado, meae fidei, et fiduciae a Christo concreditas. Quapropter primum vos rogo, ne contrahatis animum, neve quid semel susceptae curae dimittatis. Illud autem semper in oculis habetote, gravissimam vobis rationem esse reddendam, si qua vel una animula ex illarum numero, quas accepistis, vestra culpa peritura sit. Cogitate, feram illam teterrimam numquam tantulum intermittere tempus, quin oves vestras circumcurset hinc, et illinc, si qua incauta exeat, ut rapiat, ac devoret. Adversus ejus expromptam malitiam, atque astutiam dies, noctesque vigilare oportet, propeque omnia in auxilium advocanda sunt tam huma-

na, quam divina praesidia. Circumspicite diligenter, num qui erumpant, num qui insolescant, num qua impietas, num qua flagitii turpitudo, num qua immodica commissatio. Videte, quid opus factu sit: atque ita, uti vitiorum ratio postulat, singulis morbis peculiarem adhibete, ac propriam curationem, modo leniter, modo durius agendo, sicut res, ac ingenium sinit. Hoc, mihi credite, praestabitis scilicet, si vos, quorum vita ceteris, velut speculum, proposita esse debet, non solum a malis operibus abstineatis, sed omnia diclinetis, quae quoquo modo speciem mali prae se ferant. Nisi id in omni re, ac tempore vobis firmum in animo sit, corruet potestas vestra, eritque apud homines despicatui non sine vestro, et sacerdotalis reverentiae magno dedecore.

Nec ullo pacto praetermittendos vos censeo, Seminarii Alumni, aut vos, quicumque educamini in ecclesiastico nutricatu. In vobis omnes spes mihi sitae: etenim modo vos hoc ingressu aetatis animum virtute praemuniatis, nae ego certus sum, istas ecclesias habituras esse ex vobis sacerdotes lectissimos. Vestra adolescentia, si, tamquam arbusculae, recte sursum pergat, quaedam quasi columina, fuerit, ubi aliorum salus innitatur. Sed vel sic cum sitis, haud facile dixerim, quam vestra virtus sit ad exemplum valitura. Virtus in adolescente majorem habet admirationem, quo potest illa aetas videri ad vitia proclivior, itaque ad imitandum semet magis illicit: quemadmodum maximae infamiae tribuitur viris esse vitiosis, cum sint probi adolescentes. Et quia sacerdotis officium est, christianam plebem erudire, ac regere, idcirco et sapere, et parere a pueris assuescendum est. Nam nemo magister: nemo item praecipiendo aptus, nisi qui prius scientiam sibi paravit, et didicit aliorum imperio subesse.

Nunc, quando ad bene de istis ecclesiis sperandum paene omnis humana ratio constat in adolescentibus ad omne eruditionis genus rite informandis, vos ego appello doctrinarum Magistri, vosque, quanto cordis affectu possum, hortor, ut ad

hanc rem, quae vobis obtigit, strenue incumbatis. In vestra manu sita est hujusce gentis vera, ac sincera beatitudo: scilicet recte scientiam appellaveris, quamdam quasi virtutis procreatricem, unde recte facta proficiscuntur, ex quibus suum cujusque societatis bonum efflorescit: ut contrario peccata ex vitiis manant: haec autem ex ignorantia. Sed, cum duplex sit doctrina; altera emendandis animis, altera labefactandis idonea, sic autem discipuli, quales magistri, esse soleant; omnis cura vestra in eo versetur, ut ad docendum vitae sanctitatem afferatis. Vos pietatis utilitatem cum litterarum voluptate commiscendo, nullis minis, nec legum rigore adhibito, viros probos, ac navos potestis ecclesiae, reique publicae tradere. Scitis, quanti consilii Sanctissimus LEO XII duxerit hanc publicam adolescentium institutionem, quantaque sapientia rem totam complexus sit. Quare videte, ne, unde illi tot laudis praeconia tribuuntur, tantae gratiae habentur, inde vos maximum odium, ac vituperationem subeatis.

Neque non et vos compellandi estis, spectatissimi Coenobitae. Vos nihil facere, quod ab officio vestro alienum sit, teneo: quodque emolumento istarum animarum conamini, id quoque scio: quod profecto est, praecepta perficere hujus tam praecellentis status, qui totus ad Christi exemplum conformatus est. Nam Christus, postquam se e mortuis excitavit, licet a suis remotus, illos tamen aliquando invisit, cum ipsis moram nectit, sermones conserit. Id vero quando, & cur factum? Nimirum si quid illis a magistro opus esset: si admonendi, si consolandi, si erigendi, vitia levat, fidem reficit, promissa loquitur: denique nihil demoratur, quin, quae Pater jubeat, et velit caritas, faciat. Itaque haec norma, atque haec agendi ratio probatissima sit apud animum vestrum perpetuo proposita. Hic vero multas occasiones et graves ad bene de hominibus merendum vobis sese daturas, credite. Quod vestram fidem, vestram pietatem spectatam, et cognitam, ne huic rei unquam desit, etiam atque etiam rogo.

Vos quoque paucis monitas volo, Virgines sacrae. Nolite aliqua sic forte dicere: nimium quiddam fecimus: haec, & illa perdidimus. Si quid hujusmodi vobis in aure insonet, animadvertite actutum, quid Christus virtuti vestrae reddiderit pro damnosis rebus, ac vilibus, quas dimisistis. Vobis quidem usus, fructus, cultus hujus terrestris vitae interemptus est, alienatus est: at exoneratae estis maximo illo pondere: quare expeditiores sectamini divini Sponsi vestigia, quocumque ierit. Nec vos ii scopuli terrent, ubi tot misere naufragium faciunt, nec iis curis vester animus angitur, quibus humana sapientia frustra obnititur. Num vos cum ista beatitate permutare velitis, quaecumque vulgus suspicit? Nae ego haud mihi omnes omnis orbis opes meream, ut haec perdam. Quapropter sedulo cogitate, a quo tantum boni accepistis, huic vos non solum gratas praebere, sed etiam pietate vestra, atque amore tantam referre gratiam, quantam potestis: quod sane magnam partem exequi potestis, si omni studio, ac diligentia ad regulam instituti, quod suscepistis, cogitationes, actiones, consilia dirigatis: in quo, aut ego fallor, consistit vestrae vocationis perfectio, atque absolutio.

Tandem vos alloquor, viri Principes, et qui magistratus honore caeteris antecellitis. Res est omni vituperatione dignissima, eos, qui nobiliora ingenia sortiti sunt, degenerare a virtute majorum, seque vitiis dedere: qui vero gravia munera obtinent, eos levia, ac lasciva sectari. Hujusmodi perturbationem neque nobilitatis, neque honoris ratio patitur; quae res in hominum societatem eo institutae sunt, ut esset inter populum auctoritas, et praesidium constitutum. Quare vobis prope idem illud est efficiendum, quod praestare episcopum oportet, videlicet exempla vitae aliis tradere, itemque jus omne, fasque defendere. Vos autem, omnis populus, pars animi mei carissima, pauca haec audite boni pro hac re, ac tempore; multa autem coram in os, cum ad vos venero; nunc haec accipite: diligite Deum prae

re omni: estote invicem uni, neque ullam causam potiorem ducite, quamobrem vosmet a meo amore, ac necessitudine abstrahatis.

Reliquum est, ut Deo prolixe supplicemus, uti sit volens, propitiusque nobis, utique hanc rem, quam inchoamus, mihique, et vobis feliciter evenire sinat: quod ut LEONIS XII Pontificis Maximi causa frequentius vos, cumulatiusque faciatis, etiam, atque etiam rogo. Hanc enim referendae gratiae obligationem majorem facit admiranda quaedam ejus erga me, vestrasque ecclesias voluntas, quam in nostrarum commoditatum incrementum maxime profuturam esse confido. Quare summopere a Deo petendum, ut, quem nobis, christianaeque societati universae vigilantissimum ducem, custodemque dedit, eumdem velit esse diuturnum. Cum vero a viro eminentissimo Petro Francisco Galleffio, Sanctae Ecclesiae Romanae Camerario episcopus sim consecratus, ut veterem observantiam in illum meam testatam faciam, primum ipsum illum, quod fieri solet, vestris precibus commendo, deinde etiam oro, ut huic commendationi meae tantum tribuatis, quantum ulli rei carissimae, mihique desideratissimae, vobis tribuendum esse putetis.

Quae ut facilius, atque ex sententia impetremus, apud Deum Caelites deprecatores adhibendi, quorum in fide, ac praesidio istas ecclesias, et urbes majores vestri posuere: imprimisque summo cordis amore Maria semper virgo, Dominique nostri mater imploranda: cujus si quis opem poscit, salvus est. Faciat porro illa parens dulcissima, ut mihi quoque, periculosa ac lubrica instituenti, meaeque tenuitati metuenti, opem ferat: et, si ejus tutelae fido, ne me, magnitudine negotii implicatum circumveniri, et obrui patiatur. Valete, Fratres, et Filii mei in Christo carissimi: saluto vos in osculo sancto.

Dat. extra Portam Coelimontanam ipso consecrationis nostrae die XIX Nov. An. MDCCCXXVI.